



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Speculum Non Fallax

Segneri, Paolo
Pinamonti, Giovanni Pietro

Coloniae, 1706


VD18 12375713-001


[urn:nbn:de:hbz:466:1-50799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50799)



Th. 2964.

7. II
30.





SPECULUM
NON FALLAX.

Seu

DOCTRINA SPECULA-
TIVA ET PRA-
CTICA,

DE COGNITIONE

SUI IPSIUS,


Explicata septem Consideratio-
nibus, distributis in singulos
hebdomadæ dies.

Authore

R. P. PAULO SEGNERI,
Societatis JESU.



Coloniæ MDCCVI.





PRÆFATIO.



Ileri primâ fronte
 possit, nullam virtu-
 tem homini magis
 esse propriam, & ve-
 lut congenitam. quâ
 humilitatem; nam teste Eccli.
 cap. 10. 22. *Non est creata homini-
 bus superbia.* Cum enim habea-
 mus corpus ex luto formatum, &
 animam ex Nihilo creatam, quo-
 modo fieri potest, ut humiles non
 simus? Interim tamen nulla no-
 bis virtus est magis peregrina. Sa-
 tis sit dicere, antiquos Philosophos
 ne quidem nomen illius novisse;
 & quanquam ipsemet Christus
JESUS pulcherrimum hoc ger-
 men è Paradiso in terram primus
 omnium transplantârit, suâque
 doctrinâ & exemplis excoluerit,

ac demum proprio etiam sanguine
 irrigari, infœcundæ tamen nostræ
 telluris vitio radices agere non po-
 test. Ipsa etiam miserrima pecca-
 ti conditio, in qua concepti sumus,
 cum nos monere & urgere debe-
 ret, ut humiles simus, nos potius
 excoecat, eumque nobis fastum in-
 generat, qui nec in victore peccati,
 nedum in ejus mancipio, tolerabi-
 lis foret; atque adeo verè similli-
 mi sumus vacuo utri, qui, quantò
 minùs boni in se continet, tantò
 magis inflatur & tumet.

Magna utique gravissimi hujus
 erroris causa est, quòd abjecti no-
 stri statùs obliti, miserias nostras
 parùm attendamus; quemadmo-
 dum enim vultum alienum ferè
 meliùs novimus, quàm nostrum,
 quia crebrius illum videmus,
 quàm nostrum; ita de aliis sole-
 mus abjectè sentire, quia lyncei su-
 mus ad aliorum defectus; altè au-
 tem de nobis, quia cæci ad nostros.

Hec

Hæc mihi causa fuit, ut *Speculum non fallax* vobis proponerem, in quo vos ipsos intueri possitis, & nôsse discatis, quales sitis.

Specula vulgaria appellari solent *Consiliarii fideles*, licet tam specioso titulo digna non sint, sunt enim fallacia, & decipiunt videntem, non ea tantum, quæ ex professo fallunt uti *convexa*, quæ minuunt, & *concava* quæ augment objectum; sed ea etiam, quæ simplicem nobis & puram veritatem promittere videntur, ut *Plana*: hæc ipsa enim solas nobis rerum superficies, non autem earum fundum ostendunt, nôsque incautos inducunt, ut secundum solam externam apparentiam de iis judicemus: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Joan. 7. 24. Speculum autem, quod ego vobis præparo, ab illis penitus est diversum: monstrabit enim vos ipsos vobis, omnesque vestri esse fibras, atque intimos

6

Prefatio.

recessus pandet, constituetque vos ante oculos vestros, quales estis, non quales esse videmini, neque permittet, ut lignum cariosum, & à tineis excessum habeatur pro auro solido, etsi tenuibus auri foliis vestiatur: *Est quasi dives, cum nihil habeat. Prov. 13. 7.*

Verbo, ut apertè & sine metaphora loquar, quisquis hunc libellum attentè leget, addiscet *scientiam Sanctorum*, h. e. cognitionem sui nihili: qui autem istam novit, sublimissimas quasque & maximi momenti veritates novit; sublimes quidem, quia tanta est scientiæ hujus arduitas, ut non nisi Deum ipsum Magistrum habere possit, magno Bonavent. teste, qui docet, eam *intellectus* nomine, quod est secundum inter dona Spiritus S. appellari: maximi autem simul momenti est hæc notitia, quia, sicut humilitas cæterarum omnium virtutum, ita cognitio sui ipsius est humilitatis

militatis

militatis fundamentum; est enim regula, dirigens voluntatem, ut suo sese merito haberi & tractari patiatur.

Hæc ipsa scientiæ hujus necessitas deduci potest ex modis, quibus DEUS ad ingenerandum hominibus hanc cognitionem est usus, qui tot tantique sunt, ut tota veluti ejus providentia, & spirituale regimen animarum in hoc uno negotio absolvatur & occupetur: quemadmodum enim DEUS olim diutissimè distulit, educere populum suum ex Ægyptiaca servitute, & postquam illum eduxit, quadraginta adhuc annis per varios casus in deserto detinuit, ut ipso usu & longâ experienciâ cognitionem miseriæ suæ addisceret, *Circumduxit eum, & docuit.* Deut. 32. 10. ita nostris etiam necessitatibus mederi, diu Cunctari solet, finitque nos variis in via salutis erroribus implicari, ut tandem ali-

quando discamus intelligere, nos nihil omninò posse ex nobis solis, omnèque nostrum bonum à divina ejus bonitate pendere, *Domini est salus.* Psalm. 3. 9. Quòd si nos quoque, instar illius populi duræ cervicis, tam hebetis durique sumus ingenii, ut hanc de nihilo nostro doctrinam minus capiamus, acerbioribus uti solet remediis, ut eodem saltem ejus notitiam nobis imprimar: est enim prima ac præcipua divinæ gubernationis regula, humiliare superbos, *Constituit Deus, humiliare omnem montem excelsum ac rupes perennes.* Baruch. 5. 7. Sinit igitur animam labi in varia peccata, & in ea præsertim, quæ plus infamiae & ruboris afferunt, ut, sicut olim cæco, ita nostro nobis luto oculos aperiat. Quid autem amplius & luculentius dici potest de necessitate noscendi se ipsum? cùm DEUS ex infinita sua sapientia hanc scientiam

am

Prefatio.

9

am tam necessariam, tamq; magni
momenti æstimet, ut ad curandum
ignorantiæ hujus malum, cætera
mala omnia permittat, malitque
tolerare homines cæteris vitiis
plenos, quàm tolerare superbos.

Cùm igitur cognitio sui ipsius sit
genus scientiæ tam sublime atque
arduum, facile vides ingens adju-
mentum, quod afferre tibi potest
parvulus hic Libellus, in quo tui
ipsius imaginem ad vivum expres-
sam intueberis. Dicunt De-
mosthenem, ut in amœnos malè-
que compositos corporis sui ge-
stus, quibus inter perorandum la-
borabat, emendaret, speculum pa-
tris secum magnitudinis fieri sibi
curasse, & in eo se ipsum à capite
ad calcem tam crebrò & curiosè
spectâsse, ut omnes tandem oris &
membrorum motus ad exactissimi
Oratoris normam componere di-
dicerit. Mihi quoque animus est,
in his pauculis foliis simile vobis

A s

specu.

speculum elaborare, in quo vos ipsos uno aspectu undequaque contueri possitis: quisquis autem fructuosè illo uti voluerit, necesse est, ut se in eo semper, summòque studio intueatur; aliàs similis erit simplici illi, qui obiter solùm & in transitu, atque adèd sine fructu se in speculo consideravit. *Consideravit se & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Jacob. 1. 24.*

Neque timere debes, ne tam attenda & continua miseriarum tuarum consideratio tristem, aut pusillanimum te reddat: quæ enim major jucunditas est, quàm nôsse verum? Humilitas autem est ipsissima veritas, ac propterea DEO tantopere placet: *In veritate tua humiliasti me. Ps. 118. 75.* atque adèd non tollit, sed confert potiùs magnanimitatem; quantum quis enim imbecillitati suæ diffidit, tantum confidit DEO, qui non inædificat alteri fundamento, quàm nihilo:

nihilo: *Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem.* II. 40. 29. Quemadmodum igitur aqua non potest alio modo aut viâ reflire ad altitudinem suæ scaturiginis, quàm descendendo, ita anima non potest se levare ad Deum, velut primum suum principium, quàm se humiliando.

Expedire mihi porrò visum est, ad confusionem & tædium vitandum, meditationem istam, quâ ad te ipsum cognoscendum uti debes, in plures considerationes partiri, & suam cuivis hebdomadæ diei destinare, ut nostrum cœlestis huius scientiæ studium continuum evadat.

Præterea, cùm non sit satis, ferre in reum sententiam, sed & exequi eam oporteat, *facere iudicium & iustitiam*, ideo speculationi iungam praxin, & in singulos dies varios humilitatis actus exercendos præscribam, internos partim,

& partim externos, eosque erga DEUM, teipsum & proximum, ut omnes vel saltem aliqui, oblatâ occasione executioni mandari possint. Sic Spiritûs Sancti consilium implebis: *Intra in lutum, & calca.* Nahum. 3. 14. Intra per attentionem considerationem in lutum ac fœditatem tuam, tutumque nihilum fatere, & agnoscere; postea autem tracta illud, ut lutum, & pedibus conculca, cum non mereatur, nisi omnium pedibus subesse & calcari.

Tandem, cum ad obtinendam virtutem neque sufficiat vis intellectûs, quam adhibet considerando, neque conatus voluntatis, quam addit operando, sed novæ identidem vires, novumque à Deo gratiæ auxilium accedat necesse est, subjungam quot diebus aliquam precatiunculam, in qua exerceatur simul, & petatur humilitas. His medijs ad hanc virtutem

epit

eniti poteris, & per illam ad cate-
ras omnes, quas Spiritus S. in sinum
animi tui copiosè depluet: *Super*
quem requiescet Spiritus meus, nisi
super pauperculum & contritum spi-
ritu. Isa. 66. 2.



CON-



CONSIDERATIO I.

Pro Die Dominica.

De *nihilo*, quod sumus ex nobis, in statu & ordine naturæ.

PUNCTUM I.

Nihil es in essendo.

I. **C**onsidera, totam artem, cognoscendi se ipsum, consistere in eo, ut quis norit separare pretiosum à vili, seu id, quod DEI est, ab eo, quod nostrum, & suum cuique ex æquo tribuere. Qui hoc scit facere, tam justam de rebus sententiam ferre novit, ut Deus ipse eam approbet, velut suam, eamque velut Divinæ suæ veritatis oraculo prolatam profiteatur, *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Jerem. 15. 19.*

Conf-

Consideratio 1.

15

Confidera te igitur solam ex te, & agnosce, te planè nihil esse. Quid, quæso, eras ante annos centum? exercebatur tunc mercatura in mundo, gerebantur bella, fervebant lites, struebantur ædificia, volvebantur cœli, erant vicissitudines temporum, nascebatur & occidebat sol, & fiebant mille alii effectus; hæcque omnia sine te. Nondum tunc habebas corpus, nec animam, nec sensus, nec facultates, neque ullum omninò jus aut meritum, ut aliquando esses, minus tunc eras, quàm formica, minus quàm arenæ granulum; verbo, eras nihil & quod tunc eras, es etiamnum ex te, quidquid modò es ultra id, quod eras, totum es ex DEO, & ut illud haberes, necesse fuit, ut ipse tibi illud daret, ita quidem, ut tibi & rebus creatis omnibus sit penitus impossibile, quidquam habere à te, & non ab illo. Igitur, *quid superbis terra & cinis?*

16 *Speculum non fallax.*
cinis ? Eccl. 10. 9. Si ex me ip-
so forem terra, aut cinis, intole-
rabile utique foret, propterea ex-
tolli. & tamen extollor, cum sim
in finities minus, hoc est, nihil.

PUNCTUM II.

Nihil es in permanendo.

II. **C**onsidera præterea, non
minus te indigere DEO,
ut maneat in esse, quam ut primò
esses, ita quidem, ut singulis mo-
mentis in nihilum tuum redires,
nisi Deus infinitâ suâ potentiâ te
sustentaret, *Portans omnia verbo*
virtutis sue, Hebr. 1. 9. Cum
sculptor absolvit statuam, non ha-
bet illa amplius opus artificis suo,
qui eam conservet; creatura au-
tem aequè pendet à Creatore, dum
fit, & postquam facta est, pendet-
que magis ab illo, quam lux à so-
le, vel umbra à corpore. Tu, O
Deus

Deus

Deus! formasti me, ait Regius Psaltes, Psal. 138. 5. Sed quia hoc non sufficit, addit: & posuisti super me manum tuam: necesse enim est, ut conservationis nunquam interruptæ brachio retinere me pergas. Singulis igitur momentis sumus verè nihil, & omnia nostra bona, tanquam in nihilo fundata, sunt splendidum nihil; nihil est nostrum corpus, nihil anima, ingenium nihil, & nihil prudentia: totum, quod est in, & à nobis, est nihil. Intuitus sum, & non erat homo, Jerem. 4. 25. quasi diceret si profundius rimari incipio fundamentum mei esse, evanesco quasi coram oculis meis, neque invenio me amplius in me, cum quasi non essem, & sum similis illis, qui non sunt, quia ex me meisque viribus non solum efficere non possum, ut sim, sed nec, ut uno momento perseverem esse, quod sum, postquam sum.

PUN-

PUNTUM III.

Nihil es in operando.

III. **C**onsidera, vim operandi
 adeò esse commensura-
 tam vi essendi, ut ab una ad alte-
 ram fiat legitima illatio; atque
 adeò certum esse debet, eum, qui
 ex se nihil est, ex se nihil posse;
 cumque simus continuum nihil in
 essendo, manifestum est, nos esse
 continuum nihil in operando, quia
 omnis operatio supponit esse, ei-
 que innititur: *Nihil sum nihil possum
 nihil mereor*, ajebat B. Catharina
 Genuensis, quæ ne quidem nomi-
 nari se volebat, quia metiebatur
 & aestimabat se semper ex eo, quod
 habebat à se, id est merum nihil.

Interea autem nos, quæ nostra
 est cæcitas, aestimamus nos ipsos,
 & circumspicimus, velut rem ma-
 gnâ, *dicit se esse aliquid magnum*,
 A. A.

Act. 8. 9. cum tamen nostra origo sit nihil, nostræ vires sint nihil, & cum omni eo, quod habemus, & sumus ex nobis, sumus minus, quàm canis mortuus, ad nihil utiles, nisi ut neglectim abjiciamur:

Ad nihil unquam valet ultra, nisi ut consulatur. Matth. 5. 3.

Praxis

Erga DEUM.

I. **E**X spolia te coram DEO omnibono, quod habes, & ingenuè confitere, nihil esse tuum, illique soli deberi gloriam: *Soli DEO honor & gloria!* 1. Tim. 1. 17.

II. Exulta, quòd nihil sis, ut DEUS sit omnia, & gratulare tibi quod nihil habeas proprii boni, ut ille sit fons omnis boni.

III. Ad omnem vanæ complacentiæ motum recurre ocyus ad DEUM, eumque roga, ut honorem

20 *Speculum non fallax.*

rem suum tueatur, neque permit-
tat, illum à te sibi eripi.

IV. Deplora cæcitatem tuam,
quòd te hæcenus adeo æstimave-
ris: *Ad nihilum redactus sum, &*
nescivi. Psal. 72. 22.

V. Excita in te reverentialem
quendam DEI timorem, velut ser-
vus erga Dominum; nam, ut affir-
mat D. Thomas, reverentia ista &
respectus animæ erga DEUM hu-
militatis est radix.

Erga te ipsum.

I. Fuge quantum in te est omne
genus honoris & commodi, &
cum quadam in te ipsum diffiden-
tiâ, agnosce, te nec satis talenti ha-
bere, ut honorem admittere, nec
satis virtutis, ut illum gerere sine
periculo possis.

II. In rei sordidæ, ac vilis oc-
cursu cogita, te longè esse vilio-
rem propter nihilum tuum, & longè
sordidiorum propter peccata tua.

III. Elige deterius in habitatio-
ne,

ne,

ne, vestitu, & victu, velut magis proportionatum nihilo & demeritis tuis.

IV. Esto libentius cum personis pauperibus & simplicibus, & intueri in illis, quod es, & quod esse deberes.

V. Assuesce, non horrere ullam confusionem aut ignominiam utpote miseris tuis debitam; neque plus cura laudes & vituperia hujus Mundi, quam curare quis solet laudes aut vituperia infantis.

Erga proximum.

I. Proprium est humilium, nemini negare, quod concedi potest, fieri omnibus omnia, neque habere rationem propriæ inclinationis, modò satit fiat alienæ.

II. Compatere afflictis ex intimo animi sensu, & cogita, genus illud adversitatis tibi potius convenire, teque illud majori longè titulo mereri.

III. Gratus esto singulari curâ
iis.

22 *Speculum non fallax.*
iis, qui tibi benefaciunt: gratitudo est filia humilitatis; tantò enim magis æstimatur beneficium, quantò qui illo se æstimat magis indignum.

IV. Interroga libenter alios, & non dedignare, discere à quovis alio; neque ex superbia tuam ignorantiam cela.

V. Age gratias illi, qui te corripit: juvat enim te, ut te ipsum cognoscas, & habeas pro eo; quod es.

ORATIO.

Ad Patrem aeternum pro impetranda humilitate.

O Pater cœlestis, prima omnis rei, bonique omnis origo! ex tuo dono habeo, quod sum. & bonum omne quo possideo: tu mihi id dedisti, tu illud conservas; in te vivo, operor, & sum, tuâque potentiâ sustentor, sine qua nec possibilis

possibilis forem. Quàm æquum
 igitur est, ut omnem gloriam Ti-
 bi soli tribuam, utque ad te, vel
 ut ultimum finem redeat, quod
 à te, velut primo principio exivit;
 agnosco me propterea in conspe-
 ctu tuo, velut merum nihil, &
 humilio me sub tua potentia,
 quasi non essem; *Substantia mea,*
velut nihilum ante te. Psal. 38. 6.
 Displicet mihi summè, quòd, cum
 sim creatura tam vilis, ausus sim,
 peccando contra te insurgere, &
 cum ex me vires non haberem ti-
 bi bellum movendi, pessima mea
 voluntas mueuata sit illas à te, tuis-
 que donis adversùs liberalissimum
 datorem turpissimè abusa sit. Tu
 verò nihilominus non exuisti in
 me animum Patris, quamvis ego
 meâ me culpâ reddiderim vilio-
 rem luto, quod pedibus calco:
Pater noster es tu, nos verò lutum. Isa.
 64. 8. Age igitur mecum instar
 Patris, & compatere mihi, osten-
 de

24 *Speculum non fallax.*

de aliquando potentiam tuam,
medendo malis meis, postquam
tamdiu ostendisti patientiam, ea
tolerando. Sum enim verò misera-
bilis, pauper, cœcus, & nudus om-
ni bono. da mihi ergò, ut talem
me æstimem, qualis sum ex me ip-
so, purum nempe nihilum, seu
spectentur, quæ habeo, seu quæ mi-
hi desunt; ut arctissimè tibi unitus
per amorem, & subjectus per obe-
dientiam, tandem merear in te
possidere omne bonum: **DEUS**
mens & omnia! Amen.

CONSIDERATIO II.

Pro Die Lunæ.

De Nihilo, quod sumus in
statu & ordine Gratiz.

PUNCTUM I.

Necessitas Gratiz sanctificantis.

- I. **C**onsidera, quòd, licet pro-
prium aliquid haberes in
Ordi-

Ordine nature, extolli tamen propterea minimè deberes, cum sis purum nihil in ordine Gratia. Dona naturalia in tam vili apud DEUM sunt pretio, ut ea sublimi prorsus gradu reliquerit in Dæmonibus, seditiosis & rebellibus illis spiritibus: æstima ergò, quàm parùm apud illum valere debeant tennes illæ dotes, quas tibi concessit? Et hæc est causa, quòd peccator, ut homo frequenter in Scriptura Sacra appelletur stercus & cinis; ut peccator verò, appellatur omninò nihil; potiori enim jure meretur dici nihil, qui non est in gratia, quàm qui non omninò est, aut fuit. Meritò igitur numerare te potes inter ea, quæ non sunt, *In nihilum computabitur*, Sap. 9.1. réque ipsum intueri, velut immersum profundissimæ abyssò, longè infra ipsum nihilum, cum ex te non solùm non habeas gratiam, sed potiùs reatum, eam nunquam habendi. Verum quidem est, quòd, quando gratia in te est, beatum te æstimare possis, cum sit donum omni-

B

um

um bonorum præcipuum, & expressa participatio divinæ naturæ, quæ animam non sanctam modo, sed & Deiformem reddit, atque unicus ejus gradus plus valeat, quàm mille mundi; tam pretiosus tamen thesaurus est in te, velut in vase luteo; *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* 2. Cor. 4. 7. ex quo ipso tua rursus relucet vilitas, tua fragilitas, tuâque indigentia. Cæterum, si de prima gratia sit sermo, est illa tota à DEO, ac tota DEI, quia est solus divinæ Omnipotentia effectus, & præmium meritorum ac sanguinis Christi; neque potentia & facultates animæ quidquam influxus conferunt ad effectum doni tam nobilis, quia disponere se quidem possunt ad ejus infusionem, producere tamen eam non possunt, cum sit opus solius DEI, *Cor mundum crea in me Deus.* Psal. 50. 12. Ut igitur omnia paucis concludam: *Id es ex te, quod es sine gratia, terra miseria & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed*
sempi-

sempiternus horror inhabitat. Job. 10.

22. Pura puta nimirum miseria, vilior
quàm ipsum nihil.

PUNCTUM II.

Necessitas gratiæ actualis.

II. **C**onsidera, hic nondum sistere
Cinopiam tuam, cum præter
gratiam sanctificantem actuali etiam
gratiâ summè indigeas. Ut quis clarè,
ac benè videat, satis non est, oculum
esse sanum, sed opus etiam luce, quæ
illum excitet, & juvet in formanda
visione: sic, ut operari quis utiliter pos-
sit, non est satis, animam esse sanam,
& gratiâ habituali instructam, sed re-
quiritur insuper auxilium supernatu-
rale, quod intellectum illuminet, at-
que excitet voluntatem. Absque isto
auxilio, & cum concursu DEI
merè generali, ordini naturæ pro-
portionato, fieri quidem potest
quædam operatio moraliter bo-
na, quæ non sit admodum ardua,
tota tamen lex cum eo observari

non potest, nec difficultates graviores superari; non secus, ac infirmus movere se quidem aliquantulum potest; eas autem actiones quæ majorem conatum & robur requirunt, facere non potest. Accedit, quòd ea ipsa opera, quæ cum concursu merè generali sunt, nihil omninò nobis serviant, neque disponere nos possunt ad gratiam sanctificantem, aut gloriam obtinendam; cùm enim media quaedam cum fine suo proportionem habere debeant; fieri non potest ut, quæ sunt ordinis merè naturalis, ad finem supernaturalem, totòque genere altiorem disponant. Quid, quæso, amplius dici possit ad demonstrandam tibi impotentia tuæ abyssum? Ecce enim solis naturæ viribus, etsi illas à te & non à DEO haberes, non potes facere quidquam boni, quod mereatur aut disponat ad vitam æternam, *sine me nihil potestis facere*, ut ait DEUS ipse: Joh. 15. 4. non potest levissimam etiam tentationem vincere, victoria

Etoria

storiâ Cælo dignâ; non potes forma-
 re cogitationem aut pium animi mo-
 tum, qui salutis tuæ initium faciat:
 verbo, in tota tua potestate non habes
 aliud, quàm nihil, & peccatum, qui
 est Articulus Fidei definitus in Conci-
 lio Arausicano, Sect. 7. *nemo habet de
 suo, nisi peccatum & mendacium.* Infan-
 tulus, cum in sordibus est, mundare se
 non potest; dum labitur, non potest
 se erigere; cum stat, non potest se fir-
 mare; cum friget, non potest se cale-
 facere; cum esurit, non potest se pa-
 scere; cum impugnatur, non potest
 se defendere, imò nullum indigentia
 suæ subsidium petere potest, neque e-
 tiam discernit, aut novit, quid sibi
 prosit; sed necesse est, ut in his omni-
 bus à matre adjuvetur, secus, actum
 est de illo. Talis omninò, & longè
 miserabilior est tua conditio: & potes
 adhuc locum dare elationi, ac super-
 bia? Rue igitur in collum amantissi-
 mæ tuæ matris, hoc est divinæ gratiæ,
 stringe illam arctissimè, & roga inti-

30 *Speculum non fallax.*
mo cordis affectu, ne te deserat; Non
me derelinquas usquequaque! Ps II: 8. 8.

PUNCTUM III.

Necessitas gratia finalis.

III. **C**ONsidera, magis semper magisque detegi indigentiam tuam, cum continuo Divinae gratiae auxilio non solum ad inchoandum, sed etiam ad prosequendum & consummandum omne opus bonum summè indigeas; maximè autem ad perseverantiam finalem, qui est summus dei favor, mittens nos in possessionem felicitatis aeternae: *Sicut operatur Deus, ut accedamus, sic operatur, ne recedamus,* ait S. August. l. 2. c. 7. de Bono persever. Diu benè vixisse, magnam sibi virtutem parasse, grandia pro DEO egisse, salutis securitatem nobis non praestat, absque novo gratiae dono; & quamvis quis possit caelum de condigno mereri, perseverantiam tamen condignè mereri nemo potest;

potest;

potest; hæc enim semper est donum
 merè gratuitum, & indebitus DEI
 favor, quo destituti, sicut omni mo-
 mento deficimus, ita multò magis de-
 ficimus, in supremo, cum jacturæ pe-
 riculum est omnium maximum. A sex
 jam annorum millibus aër à sole quo-
 tidie illuminatur, quamprimùm is
 tamen ex nostro horizonte recedit,
 offuscatur, & ne momento quidem
 tam copiosè communicatam sibi lu-
 cem conservare potest, ut adeò non
 tam dici possit aut debeat *aër lucidus*,
 quàm phrasi magis propria *sol lucidus*
in aère. Idem etiam dic de te ipso:
 DEUS perseverat in te; Non ego, sed
 DEI gratia mecum. I. Cor. 15. 10. tu
 autem ex te ipso tam debilis es ut,
 si ille vultum avertat, aetum sit te-
 cum: *Avertisti faciem tuam à me, &*
factus sum conturbatus. Psalm. 29. 8.
 quanta igitur est abyssus vanitatis in
 homine! *Univerfa vanitas omnis ho-*
mo. Psalm. 38. 6. superbit, &
 tamen omni momento indiget ful-

32. *Speculum non fallax.*
cro, quo sustentetur; extollit se supra
se. & nescit, an sit perseveraturus: *Vbi
est gloriatio tua? exclusa est.* Rom. 3. 27.

Praxis

Erga Deum.

- I. **A**D initium omnis actionis bonæ commenda te Deo, & cum vera de viribus tuis diffidentiâ agnosce, te illam ritè facere non posse, sine novo ejus auxilio.
- II. Sub finem cujusvis operis gratias refer Deo, & assuesce; ejus gratiæ integrè adscribere, quidquid in illo est boni; agnosce te vasallum Dei, ei que debitum homagium præsta, & quas bene operando coronas mereris, ante thronum ejus gratus prosterne.
- III. Roga crebrò veniam, quòd non sis ritè usus auxiliis, ad bene operandum à Deo tibi suppeditatis, & ingenuè fatere, non tibi gratiam, sed te gratiæ defuisse.
- IV. Elice crebrò actus Fidei, circa
nihilum,

Consideratio II. 33

nihilum, quod es, præcipuè in ordine gratiæ, & proficere, tamdiu solum te firmum in bono perstituram, quamdiu te Deus tenuerit, ne cadas.

V. Obstupesce, quòd Deus tam amanter agat cum creatura tam misera, qualis es tu, & dic illi; *Domine quid est homo, quia magnificas eum, aut quid appenis erga eum cor tuum?* Job. 7. 17.

Erga teipsum.

I. **C**Ave, esse aut videri singularis, & cura, ut in re nulla habearis præter communem omnibus & consuetum morem.

II. Nunquam te subtrahas communibus oneribus, quæ cæteris ferenda sunt, neque fuge incommoda, & obsequia, quæ aliis debentur.

III. Semper time, ne gratia te deserat propter tuam ingratitude, & negligentem ejus usum.

IV. Gaude ob defectus naturales, quibus laboras, velut materiam & subsidium humilitatis.

V. Cogita, quòd, qui te laudat, te fallat, & in gravem errorem inducat, ut credas, tuum esse bonum, quod est gratiæ: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Isa 3. 12.

Erga Proximum.

I. **Q**uantum sine affectatione fieri potest, elige semper postremum inter ceteros locum, velut minus dignus.

II. Detege sincerè conscientiam tuam Patri spirituali, velut infirmus medico & generosè vince omnem verè recundiam.

III. Neminem contempnas, quantumvis sit magnus peccator & dic intra te ipsum: quis scit, an non ille sit prædestinatus, & non ego?

IV. Noli cum aliis agere, velut pro potestate, neque plus iis sapere velle.

V. Quando penes te est electio, cede aliis meliora in vestitu, habitatione & victu, velut meritis inferior.

Oratio

*Oratio ad Filium Dei pro obtinenda
Humilitate.*

O Verbum Divinum, O Lux, O
 veritas! en creaturam miseram,
 quæ se pedibus tuis advolvit, ut cum
 dolore & confusione insipientiam su-
 am profiteatur. Tu, qui es sapientia
 increata, & ex infiniti amoris exces-
 su factus es nostra Sapientia & Justi-
 tia, ut non gloriemur, nisi in te:
 ego autem ignorans & insensatus, non
 agnovi omnis boni mei authorem, &
 jactavi me, velut de re propria, quæ
 mihi obvenire non potuit, nisi à te.
 Quid ergo habeo, quid dicam? ne-
 cesse est, ut palam confitear, quod
 res est; cum me extollo, ago, ut
 destitutus omni ratione. & immersus
 densissimis ignorantia tenebris: *Stul-
 tissimus sum virorum, & sapientia non
 est mecum. Prov. 30. 2. Tua est gra-
 tia, quia tu eam meritus es, ut homo;
 tua est, quia tu eam producis, ut Deus:*

B 6

absque

absque illa sum minus quàm nihil, & longè inferior rebus omnibus, quæ nunquam fuerunt, nec erunt: tota igitur gloria tibi debetur, mihi autem nihil, nisi confusio. O igitur, qui solus gloriari & dicere potes, *superborum & sublimium colla propria virtute calcavi.* Eccl. 24. 10. Veni & contere maledictæ meæ superbiæ caput, ut effluat aliquando totum ejus virus. Illustra mentem meam, ut meam ad omne bonum insufficientiam agnoscam, & fac, ut debitum tibi soli honorem reddam: sic enim in veritate firmatus, & à gratia tua adjutus, sperare poterò, me eò aliquando venturum, ubi perpetuam in tua gloria gratiarum actionem tibi dicere possim.

Amen.



CON₃



CONSIDERATIO III.

Pro Die Martis.

Miseriæ Peccati Originalis.

PUNCTUM I.

Ignominia.

I. **C**onsidera primos tui nihili effectus in miseris peccati originalis, quòd in causa fuit, ut, quamprimùm esse cœpisti, peccati brachiis excipereris, quod suo te complexu, prius omni nutrice, arctissimè strinxit, ut vitam tibi elideret, teque non mollibus fasciis, sed catenis nullo naturæ conatu rumpendis involvit: *In iniquitatibus conceptus sum*; ait confusione plenus S. David, Psal. 50. 7. non secus, ac in sinu meæ matris. Subsiste hic igitur, & expende primam istam originis tuæ ignominiam, & quemadmodum superbi suas laudes à

B 7

nobi-

nobilitate majorum ordiuntur, tu potiori jure humiliationem tuam à primo tuo parente Adamo ordire. Magna censetur ignominia, ex vili sanguine nasci, & propterea infamis cujusdam proditoris filius aliorum conspectum & alloquium non sustinet sed voluntario potius exilio se mulctat, fugitque omnem eam regionem, in qua noscitur esse, quod est. Nunquid autem filius es primi inter homines Rei læsæ Divinæ Majestatis, primi rebellis suo Creatori, & primi Proditoris totius generis humani, qui uno illud ictu totum peremit? *Pater tuus Amorrhæus, mater Cethæa, Ezech. 16. 3.* Adam Pater tuus fuit *Amorrhæus*, id est rebellis; Eva mater tua fuit *Cethæa*, id est, stulta: & tamen sunt adhuc, qui nobilissimi dici ambiunt, immemores sanguinis peccato infecti, & infamis, qui in venis eorum fluit. *Serpentes, & gemina viperarum!* Matth. 23. 33. Hi enim verò sunt tituli nobis comperentes;

tes;

tes ; si enim primi nostri parentes ob peccati virulentiam viperæ & serpentes dici meruerunt , quid poterant aliud generare, quàm venenatam, sibi-que similem progeniem? Infinitas tibi gratias, Christe JESU ! qui in Baptismo pretiosum sanguinis tui lavacrum nobis parâsti , in quo maculæ hujus turpitude ablui, & innata isthæc malignitas curari posset. Verum hoc tuum duntaxat est beneficium , noster autem non est, nisi reatus & demeritum; unde tibi soli gloria, nobis autem ignominia debetur : *Tibi Domine Iustitia, nobis autem Confusio*, Dan. 9. 7.

PUNCTUM II.

Cæcitas mentis

II. **C**onsidera, peccatum originale Cunâ cum nataliũ maculâ, summam etiam potentiarum & facultatũ omnium perturbationem in te concitâsse. Et in primis quidem monstrosam in intellectu tuo cæcitatem renebrâs-que

que Ægyptiis magis palpabiles peperit: Veritates naturales quod attinet, versaris quasi in mera caligine, & apertos quidem habes mentis oculos, ad eas discernendas, sed ex defectu luminis identidem hallucinaris, ad veritates autem supernaturales planè cæcus es. & uti suprà expensum est, sine gratiæ subsidio nec unicam quidem, eamque tenuissimam cogitationem formare potes, quæ ad salutem disponat ac proffit, atque adeò non tenebricosus solum, sed ipsissimæ tenebræ, nox pura & mera cæcitas es: *Eratis aliquando tenebra.* ad Eph. 5. 8. Nihil aliud nôsti, quàm creaturam Creatori præferre, amare bona caduca, & contemnere æterna, tenere viam perditionis, & aberrare à semita salutis: *Sapientes, ut faciant mala.* Jerem. 4. 22. Et tamen ob modicam, quam habes, scientiam naturalem, & tenues humanæ prudentiæ reliquias, videris tibi doctus, superbe propterea te circumspicis, & irasceris iis, qui tibi con-

tradi-

tradicunt; non secus, ac si niger quidam æthiops ob modicum illud albedinis, quod in dentibus habet, crederet se miraculum candoris: *Arrogantia ejus, & indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus. Isa. 16. 6.*

PUNCTUM III.

Malitia voluntatis.

III. **C**onsidera, tenebras à peccato originali interrelictas, non esse, quales de nocte experimur, quæ scilicet recreant, & reficiunt hominem; sed quales experimur in Ecclipsi, quæ terrent & nocent: mentis enim nostræ cæcitas incredibilem voluntatis malitiam secum trahit, quæ nec finem habet, nec modum; solus Deus eam perscrutari, & comprehendere novit: *Pravum est cor omnium, & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor. Jerem. 17. 9.* Nos autem virulentiam pestis, quâ infecti sumus, neutiquam assequimur. Consistit

sistit autem malitia ista inprimis in
 vehementi propensione voluntatis ad
 se ipsam; eò usque, ut non vereatur
 Deum negligere, modò sibi satisfa-
 ciat; consistit deinde in effrenata, &
 incredibili libidine potentia concu-
 piscibilis; sensuum voluptatibus per-
 ditè, & insatiabiliter inhiantis: consi-
 stit tandem in summo languore ac de-
 bilitate potentia irascibilis, ad ample-
 ctendum bonum honestum, cum sum-
 ma simul impudentia ad audacter se-
 ctandum bonum delectabile: *Sensus*
& cogitatio humani cordis in malum pro-
na sunt ab adolescentia sua, Gen. 8. 21.
 Immane saxum, violenter in aëre su-
 spensum, summâ vi deorsum tendit,
 retineri tamen naturæ viribus potest:
 pari, imò majori vehementiâ impel-
 leris in omne malum, & ut à lapsu ser-
 veris, nullæ naturæ vires sufficiunt, sed
 opus est potenti gratiæ auxilio; cum
 continua ac valida Dei erga te mise-
 ratione: *Corroboravit misericordiam su-*
am super timentes se, Ps. 102. 11. mise-
bilena

bilem igitur statum tuum benè perpende, & cogita, te esse misellum illum, qui Jerosolymâ in Jericho profectus, incidit in latrones, à quibus spoliatus, vulneratus, & semivivus in campo relictus est; Tu enim es, qui peccato per voluntatem Adami admissio, à civitate Dei in civitatem seditiosam transisti, & interceptus à prædonibus inferni, originali justitiâ & gratiâ spoliatus es, quatuor insuper lethalibus plagis, ignorantia, malitia, fragilitatis, & concupiscentia percussus, spirans jam ferè cadaver cum tenuibus solùm superstitis vita, rationis nimirum turbata, & languentis libertatis reliquiis, & certissima æternæ mortis victima futurus, nisi DEI nostri bonitas propriis suis vulneribus medelam plagis tuis fecisset, quarum tanta est malignitas, ut nec Divino hoc pharmaco satis coalescant. Et hoc in statu, in quo timendum potius foret, ne in desperationem labaris, superbe te extollere audes?

Dicit,

Dics, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cecus, & nudus. Apoc. 3. 17. Credis te divitem donis naturæ, ditatum donis gratiæ, neque opus tibi esse gratiis actualibus ad illa conservanda; Dei autem contrarius omninò de te est sensus, aitque, te esse miserum in te ipso, videri te aliis miserabilem, esse te pauperem ob jacturam Justitiæ originalis, & nudum, quia omni virtutis habitu spoliatum. Quam ergo ex duabus his sententiis veram arbitraris? quis fallitur, tu, an Deus? In manu Chanaan statera dolosa, & dixit, dives effectus sum; Os. 12. 7.

Praxis

Erga DEUM.

I. **S**Tatue te in divino conspectu, velut abortum in campos temerè abjectum, & imaginare tibi, quasi

quasi Deus ex sua pietate amanter te respiciat, dicatque, *Vive! videns te conculcari in sanguine tuo, dixi tibi, vive; dixi, inquam, tibi in sanguine tuo, Vive!* Ezech. 16. 6.

II. Protestare coram Deo, te à lethibus tuis plagis sanari non posse, nisi ipse medicam manum admoveat: *Sana me Domine, & sanabor; saluum me fac, & salvus ero.* Jer. 17. 14.

III. Cave, ne dona Dei tuâ tibi culpâ gravioris damnationis occasio fiant; quantò enim pluribus titulis teneris ei servire, tantò segniùs illi servis.

IV. Cùm Deus tenero devotionis sensu te privat, scrutare teipsum profundius, & confitere, te non esse dignum iis blanditiis, quibus amicos suos recreat Deus.

V. Redde Deo gloriam illam, quam stultâ elatione ei hætenus rapuisti; *Dextera Domini fecit virtutem!* Psal. 117. 16.

Briga

Erga teipsum.

I. Æstima te indignum omnibono, quod habes, & quod non habes; & fatere, te non mereri cibum, quo pascaris, nec aërem, quem respiras, &c.

II. Cave, quidquam agas, aut boni omittas ex respectu humano.

III. Desidera, à nemine honorari, ut hâc viâ ad desiderium contemptûs ascendas, quæ est ultima meta humilitatis.

IV. Opta, esse in omnium oblivione, à nemine amari, tuique memoriam in omnium animis deleri: *Tanquam mortuus à corde*, Ps. 30. 13. Cùm enim non ametur, nisi bonum, bonus videri desideras, cùm amari desideras.

V. Non cessa, te ipsum arguere propter lapsus tuos, tuosque defectus tibi exprobrare; sic enim paulatim asuesces, te ipsum ex animo contemnere, & tibi ipsi intolerabilis fies.

Erga

Erga proximum.

I. Nisi Charitas aut Justitia te cogat, indispensabili Lege tace aliorum defectus, & ama potiùs, de eorum virtutibus loqui.

II. Cave, de quoquam aliter te ulciscaris, quàm ut gratum lædenti obsequium præstes; cogita, te quavis injuriâ dignum esse, & jure tibi, fieri quod alteri nonnisi cum injuria fieret.

III. Si alios tibi præferre exterius non potes, præfer tibi illos in animo, téque illorum consortio indignum puta.

IV. Persuasum habe, non habere te pejorem Consiliarium, quàm te ipsum & paratus esto, alienum potiùs, quàm tuum arbitrium sequi.

V. Cave, ne ex fastu spernas, te sperni; sunt enim, qui dissimulanter ferunt illatas injurias, quia contemnunt inferentem; & sic superbi sunt, cum humilitatem exercere videntur.

ORA-

ORATIO.

*Ad Spiritum Sanctum pro obtinenda
humilitate.*

O Amor æternus, ô Spiritus Con-
solator, ô Donum super omne
donum! En abyssus miseriarum invo-
cat abyssum misericordiæ, ut malis
meis remedium, vulneribus medici-
nam, & sordibus lavacrum inveniam,
*Lava, quod est sordidum; riga, quod est a-
ridum; sana quod est saucium.* Tu in
principio Mundi super aquas fereba-
ris, ut informi rerum creatarum mas-
sæ vitam & fecunditatem inspirares;
postea autem majori longè prodigio
per aquas Baptismi vitâ & fecundita-
te gratiæ animam meam donâsti: ve-
rùm ego stultus, & jumentis similis
factus, tuorum donorum pretium non
agnovi abjeci gratiam illam; hæredi-
tariis originalis peccati debitis nova
ac propria adjeci; innatam fragilita-
tem adauxi; grave catenis meis pon-
dus addidi, & vulnera mea exacerba-
vi,

vi,

vi, non mereor igitur, nec clemenciam, nec veniam, non mereor. Tu verò, cujus liberalitas eò illustrior est, quò major est nostra indigentia, ne deseras misellum, cui sine te nihil omnino boni obvenire potest: *Sine tuo Numine nihil est in homine, nihil est innocium!* Cùmque una è maximis meis miseriis sit, ignorare meas miserias, compatere cæcitati meæ, & uno lucis tuæ radio ostende mihi, quàm miserabilis sim in oculis tuis. Doce me, quis tuus sit sensus de me, de meo *nibilo*, de pravis meis habitibus, de mea ignorantia, de mea fragilitate, & de perversitate mea. Beatum me, si hanc mihi gratiam feceris; videndo enim hoc nunc lumen in lumine tuo, confido, me aliquando in Cælum admittendum, ut sanctitatis, ac beatitudinis tuæ particeps, tibi que æternum similis fiam.

Amen.

C

CON.



CONSIDERATIO IV.

Pro Die Mercurii.

De Peccatis Actualibus.

PUNCTUM I.

Peccata præterita.

I. **C**onsidera, te ob admissa peccata viliozem, minusque æstimabilem *Nihilo* evasisse; neque enim ulla mens humana intellectu assequi potest, quàm abjectus ac vilis in Dei oculis sit quivis peccator: optabilius ei foret, esse virulentum bufonem, basiliscum, aut draconem, imò penitus non esse: *Melius erat illi, si natus non fuisset homo ille.* Matth. 26. 24. Quodvis peccatum complectitur omne genus ignominie, & quisquis illud admittit, facit actionem omnium probrosissimam, reus est proditionis turpissimæ, & foedissimam infamie maculam

con-

contrahit: *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas, dicit Deus Jerem. 2. 36.* ob incredibilem peccatricis animæ vilitatem, quæ eò magis crescit, quò magis peccata peccatis cumulantur. Sperare quidem forsan potes, te plenam veterum delictorum indulgentiam accepisse; certus tamen de hoc non es; & quamvis de accepta venia & deletis peccatorum maculis certus fores, id tamen non tibi, sed gratiæ divinæ beneficio unicè debetur. Si verò consideras te ex te, proh! quale animæ chaos, quàm perturbatam rerum faciem, & quam abyssum monstrosæ malitiæ videbis! voluntas enim tua per peccatum æquè abominabilis facta est in divino conspectu, quàm abominabilia erant objecta vilissima, quæ plus quàm Deum dilexit: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt, Os. 9. 10.* Et hic est status, in quem te peccando præcipitasti, quemque in te agnoscere semper debes; nam peccata, etiam condonata, non

cessant esse tua, debésque magis detestari quamcunque culpam in te, quàm gravissimam in aliis. Nunquid parùm vobis est, quòd peccastis: Jos. 22. 16. Non leve profectò videri tibi debet, vel semel insurrexisse adversùs Deum tuum; imò satis tibi sit, aliquando fuisse peccatorem, ut semper tui te pudeat, & nec oculos præ rubore levare audeas. Dicunt, Simonem illum, qui Redemptorem convivio excepit, fuisse ab eodem à lepra sanatum, retinuisse tamen semper nomen *Leprosi*, qualis antea erat, hâc sermonis proprietate, tu quoque dici potes, etiamnum esse merum ulcus & mera vilitas: *Infamia semel imposita perpetuò durat, l. 3.* Ita decernit lex humana; divina autem, etsi in pœnitentibus peccati infamiam aboleat, consulit tamen, ut semper te consideres, velut eo adhuc in statu constitutum, in quo aliquando eras ex tua culpa, modò autem ampliùs non es ex mera misericordia.

PUN-

PUNCTUM II.

Peccata presentia.

II. Considera præterea, non esse opus recurrere ad peccata præterita, pro humiliationis materia; sufficienti abunde presentia; si enim presentem animæ tuæ statum attentè inspiceres, arbitraberis, te videre Jobum in fimeto confidentem, taboque & sanie ex omnibus corporis membris manantem: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus, & livor, & plaga tumens, Isa. 1. 6.* Omnes animæ potentia, atque omnes tui sensus scatent imperfectionibus, & putredine, ob immensum numerum defectuum, qui inde fluunt, faciuntque, ut sis velut spirans cadaver, & inter tenues vitæ reliquias à vermibus exesum. *Tanta est malitia tua dicebat B. Catharina Genuensis, ut nisi Deus faciem suam ab illa averteret,*

54 *Speculum non fallax.*

non posset tibi unquam ampliùs benefacere; est enim tam enormis, ut nec credi, nec verbis exprimi possit ab iis, qui eam non vident. Aliâ vice, cùm huic ipsi sanctæ Virgini monstraretur abominatio minimi alicujus actûs, contra Dei voluntatem admissi, clamabat, se morituram præ horrore, & nisi citò cessaret hæc visio, disruptum iri corpus suum, etsi adamante solidius foret. Quantus non autem similium in te culparum est numerus? quàm incertus verò earum est numerus, tam incerta etiam est earum gravitas: delicta quis intelligit? Psalm. 18 13. Et tamen ab omnibus vis haberi & æstimari, velut bonus, non aliter ac argentum vivum, quod, licet sit gravius omnibus metallis, evolare tamen nititur super omnia: abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem Job. 15. 16. Viden expressam ad vivum tui imaginem! inutilis es, quia nihil es ex natura; abominabilis es ob peccata præterita,
&

& quia de præfenti non devoras fo-
lùm, sed & bibis iniquitatem, ac pec-
care pergis sine fræno aut respectu; &
tamen adhuc te extollis!

PUNCTUM III.

Peccata possibilia.

III. Considera, te esse gravissi-
mum peccatorem, non solùm ob
peccata præterita, & præfentia, sed
etiam ob possibilia; in quæ rueres,
nisi te Deus ab illis servaret: *Gratia
tua deputo, quæcumque non feci mala.*
falsus est demissè S. Augustinus l. 2.
Conf. c. 7. Omnia peccata, quæ non
facimus, sunt beneficium divinæ gra-
tiæ, & fructus sanguinis JESU Chri-
sti, quia omnis planè homo, ex na-
tura sua corrupta, & innato suo nihi-
lo habet abunde in se, quidquid ne-
cesse est ad patranda atrocissima quæ-
vis delicta: & sicut in bono tam de-
bilis es, ut tuis solùm viribus ne unum

56 *Speculum non fallax.*

quidem gressum promovere possis,
ita in malo es instar vasti, tamque
robusti gigantis, ut omnia mundi
peccata humeris tuis sustinere possis.
Cogita igitur, te supra gravissimo-
rum scelerum abyssum velut capillis
detentum pendere, neque alio opus
esse, ut cadas, quam ut teneri desi-
nas. Non est opus ad hoc ullo mira-
culo; nihil faciendo efficere potest
DEUS, ut peior sis quam si te in nihi-
lum redigeret, sufficit, ut novam ti-
bi gratiam neget, quæ tibi adeò non
debetur, ut eam potius millies sis de-
meritus; sufficit, ut dæmoni habe-
nas permittat, tentandi de totis suis
viribus; sufficit, uno verbo, ut te vo-
luntati tuæ relinquat; & momento
præceps rues in omnia mala. Igitur
jam nunc eo in statu considerare te
debes, in quo fores, si rota omnium
mundi scelerum moles tibi incumbe-
ret; quantum enim est ex te, ea tibi
revera jam incumbit, cum in animo
circumferas fomitem & radicem mi-
seriarum,

feriarum, quæ te expeditum ac pro-
num faciunt ad ea perpetranda. Qui
morbo caduco laborat, censetur in-
firmus, etsi actu non cadat, quia infi-
rum habet humorem illum mali-
gnum, qui eum ex se disponit, ut ruat
in quodvis præcipitium. Primum
terræ nomen fuit arida, *Vocavit Deus*
aridam terram, Gen. 1. 10. Non quòd
tunc arida fuerit, cum aquis sepulta
jaceret, sed quia ex se arida est, & si-
ne aquis arida fuisset. Ita tu quoque
sine gratiæ auxilio novus Antichristus,
imò illo deterior fores. Extollere
modò, si potes, ad facem tam perspi-
cuae veritatis!

Praxis

Erga DEUM.

I. **S**Tatue te in Dei conspectu, ve-
lut Publicanum, qui præ ve-
recundia cœlum intueri non ausus,
& dic frequenter: **DEUS**, propi-

C 5

1169

*sius esto mihi maximo peccatori ! Luc.
18. 13.*

II. Cùm laudaris, cogita, quàm longè aliud sit iudicium Dei de te: *Qui laudatur ab hominibus, vituperante te, non absolvitur ab hominibus, condemnante te, dicere solebat S. Augustinus.*

III. Roga Deum crebro, ne te relinquat in manibus passionum tuarum: *Anima irreverenti & infrunita ne tradas me ! Eccles. 23. 6.*

IV. Cogita, te in divino conspectu esse instar foetentis paludis quæ tamdiu aërem non inficit, quamdiu non movetur: pari enim ratione, ea solùm peccata non facis, ad quæ tentatio, vel occasio tibi deest.

V. Accepta libenti animo omnia adversa, instar servi, qui humeros flagris promptè inclinat, quæ novit se se esse promeritum: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei,
Mich. 7. 9.*

Erga

Erga teipsum.

I. Cave, de te ipso loquaris sine urgente causa, & multò magis ne te velut normam & ideam rerum agendarum proponas.

II. Submissè & modestè loqui, semper judicârunt viri sancti, esse signum & exercitium humilitatis.

III. Fuge, quantum licet, eorum consortium, qui te nimium laudant, & super alios extollunt, ne superbia tua inde pabulum accipiat.

IV. Noli celare defectus tuos, præsertim naturales, & qui scandalum afferre non possunt.

V. Conare, ut concipias sanctum tui odium, cum ad nihil planè sis utilis, quàm ad faciendum malè, nisi Deus te servet: quisquis te verè nôisset, odisset te.

Erga Proximum.

I. Cum nemine unquam contendas, sed explicatis tuis rationibus, modestè cedas, ac grandem victoriam arbitreris, vincere teipsum.

II. Cum alteri cedis, gere te, ac si non sponte, sed necessitate adactus cedas; neque habeas, quod ultra respondeas.

III. Cum quis in conversatione tibi molestus est, cogita, quanto graviolem molestiam defectibus tuis Deo facias, & is tamen benignè te toleret.

IV. Cum æqualiter aliis fratribus haberi, obstupescere in animo tuo, & cogita, te inter eos versari, ut corvum inter columbas.

V. Cave omni studio quemvis invidiæ motum; hæc enim malo superbiæ, ex qua nascitur, adjungit malitiam odii, quod parit; atque adeò duplicem habet malitiam.

Oratio

*Oratio ad Christum IESUM, tanquam
Redemptorem, ut largiatur nobis
humilitatem.*

O Mi benignissime Redemptor,
qui propter salutem hominum
voluisti videri minus quàm homo,
totus coopertus confusione, & satia-
tus opprobriis! benedico & desidero
æternùm benedicere misericordiam
illam, quâ peccata mea, &, quæ o-
mnium maximè intolerabilis est, su-
perbiam meam tamdiu tolerare di-
gnatus es. Opus profectò tibi erat
patientiam infinitam, ut tolerares me,
hominem tam miserum, & tam su-
perbum simul sui æstimatorem. *Pauperem & superbum, Eccles. 25. 4. Ve-
rùm ne, quæso, sistat hîc bonitas tua,
tolerando me duntaxat; progredere
ultra, O unicum meum bonum, &
libera me à malitia mea, & fac, ut
æquè sim humilis, ac revera sum vi-
lis. Ab homine iniquo & doloso erue me.*

C 7

Psalm.

Psalm. 42. 1. Libera me à me ipso, homine prorsus iniquo, & deceptore mei ipsius: illumina cœcitatē meam tuâ veritate, ut me deinceps æstimem, qualis sum in oculis tuis, abyssus nimirum fragilitatis, & scelerum.

Inchoasti jam opus istud per lumen fidei, perfice illud uberiori adhuc luce, & ne spernas preces meas, etsi merear, ut spernas. Aspice, quæso, tantam esse meam malitiam, ut cunctis hominibus veneno pessimi exempli inficiendis satis foret, nisi tua id gratia impediret; totus infernus non sufficeret plœtendis ex æquo culpis meis, sed alius, meo solum supplicio destinatus, mihi deberetur. Et tamen me non agnosco, cupioque honorari, & aliis præferri, tuâ igitur luce indigeo, ut dissipentur tenebræ meæ, tuâque virtute, ut ne posthac in omnia vitia præceptus ruam. Hanc igitur imploro per sanguinem tuum, hanc spero à bonitate tua, quâ plus dare soles, quàm rogaris; spondeo ac
pro-

pro-

promitto, te in æternum laudare ob
tam singulare beneficium, indigno
concessum. Amen.



CONSIDERATIO V.

Pro Die Jovis.

Infernus est potens motivum
humiliationis.

PUNCTUM I.

Meritus es damnationis sententiam.

I. **C**ONSIDERA confusionem latro-
nis, de scelere jam convicti,
& ad furcam damnati, & cogita po-
stea, quantò major sit tua confusio,
qui, velut honoris divini latro, ad in-
fernum damnatus es, Angelorum
profectò Deique judicio hæc tantò
major est illâ, quantò abominabilius
est, æternum sub pedibus Dæmonum
vive-

vivere, quàm vitam sub manu carnicum in furcâ finire. Accedit, reos afferre aliquid in excusationem objecti criminis, & revocari in dubium posse, utrum ita culpabiles sint, ac videntur judici humano: in te verò dubium istud habere locum non potest; certum enim est, te esse meritum gravissimam illam pœnam, & in hoc præcipuâ confusionis materiâ consistit: non, puniri pœnâ, malum est, sed fieri pœnâ dignum. Jam eras aliquando convictus à justitia divina, quæ falli non potest; imò, ut ita loquar, jam stabas in gradibus scælæ, nec reliquum erat, nisi ut supremo impulsu ex ea deicereris, quemadmodum innumeris aliis, iisque minùs reis contigit, cum æterno eorum interitu: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea*, Psalm. 93. 17. O infauſta habitatio! O ferreum diversorium! O intolerabilis confusio! & tamen doles, te non satis æstimari! Omnis

contemptus, qui non est ipsa damnatio, vel infernus, reatu tuo minor est; dic igitur tu quoque, verecundiâ & rubore coopertus: Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi, Job. 33. 27.

PUNCTUM II.

Nescis, an sit revocata.

II. Considera, te securum non esse, quòd illa sententia sit revocata. S. Theresiæ ostendit aliquando Deus locum in inferno, in quem incauta tandem se præcipitasset, si certis consortiis & affectionibus ex se non malis, sed periculosis adherere perrexisset. Igitur tibi quoque, idque majori titulo assignatum crede locum in tenebris illis horrendis, & in consortio infelicium illorum, qui sine suo æternum privati sunt; & quis scit, an non infausta illa statio etiamnum te expectet? quis scit, an illa maledictionis

tionis sententia sit deleta? quis scit, an nomen tuum ex libro mortis erasum sit? *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, Eccles. 9. 1.* Et cum hoc dubio audes caput superbè elevare, erigere supercilium, & contemnere socios, quorum causa apud divinum tribunal meliori fortè loco est, quàm tua? *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Thren. 3. 1.* Non est aptior modus cognoscendi inopiam tuam, quàm intueri debitum apud divinam iustitiam contractum. Si servi pro *nihilo* computantur in Lege: *Servi pro nullis habentur*: quantò magis meretur pro *nihilo* haberi servus damnatus ad poenam, eamque æternam, de qua incertum est, an sit ei condonata.



PUNCTUM III.

Potest tuâ culpâ renovari, & executioni mandari.

III. **C**ONsidera, quòd, licèt condonata tibi sit pœna, delictis tuis debita, id adscribi unicè debeat misericordix Dei tui; tu verò ex te es, & manes, qualis fuisti, homo nimirum reprobus, & unus è numero damnatorum, potèsque verè dicere: *Infernus non solùm fuit, sed etiamnum domus mea est.* Job. 17. 13. quam meis mihi peccatis construxi, nec fuit vis ulla creata, quæ retinere me posset, quò minùs eò præceps ruerem, ad sedem in æternis illis incendiis capiendam: eoque amplius, quòd, licèt singulari Dei favore supplicium illud evaseris, certus tamen non sis, an non deinceps tuâ malitiâ sine ulla spe veniæ sis denuò ad illud damnandus. **O** veritas, quæ omnem
vani.

vanitati accessum obstruit ! O abyssus divinorum iudiciorum , ad cuius aspectum , qui non se humiliat , aut ratione , aut fide destituitur. En ! is , qui hodie latro est , & damnationis reus , paucos intra dies à Christo in Cruce certum paradisi pignus accipiet , è diverso , qui modò Apostolus est , & Dæmonibus imperat , desperabundus vitam finiet , æternùm illaqueandus ab iis , quos priùs imperio suo fugavit. O igitur , ingemino iterum iterumque , ô abyssus , ô horror ! Ecquomodo potes quemquam spernere in tanta incertitudine vitæ aut mortis æternæ ; quomodo potes te plus aliis æstimare ? Fieri potest , ut in proximi persona spernas electum ad vitam æternam , & in tua magni facias damnatum ad æternam infamiam. Et quantum abesse te credis à præcipitio in hanc abyssum ? quantum nimirum abes à peccato , & tantùm abes à peccato , quantum à te ipso. Quod si autem in hoc miseria-

rum

rum barathrum caderes, quamam,
obsecro, tua in æternum occupatio
foret? non alia, mihi crede, quam cum
infelicibus illis execrari superbiam
tuam, & cum iisdem inter inutiles &
feros nimis planctus ingeminare: *Quid
nobis profuit superbia, & divitiarum ja-
ctantia quid contulit nobis?* Sap 5.8. Fa-
ctus ille, qui nec ad breve tempus no-
bis profuit, nunc cruciat nos in æter-
num.

Praxis

Erga DEUM.

I. **A** Ge Deo frequenter gratias ob-
tam longam in te tolerando
patientiam, & cogita, peccata tua illi
vim inferre, ut tolerare te amplius non
possit: *Non poterat Dominus vos ultra
portare propter malitiam studiorum ve-
strorum.* Jer. 44.22.

II. Cùm injuriam pateris, non at-
tende unquam, quis eam tibi inferat,
sed leva oculos ad Deum, qui eo velut
instrumento utitur ad te humilian-
dum: *Dominus precepit ei, ut malediceret
mibi,* 2. Reg. 16.10.

II. Dic

III. Dic interdum ad teipsum: quid tibi reliquum maneret, si Deus simul omnia sua dona à te repeteret? *Si qua inveniri posset creatura divina bonitatis non particeps foret tam mala, quàm Deus est bonus*, aiebat Cathar. Genuens. in vit. c. 13.

IV. Considera, quàm abominabilis esse debeas coram Deo ob tuam superbiam: *Abominatio Domini est omnis arrogans* Prov. 16. 5. Humilia te igitur, quòd humiliare te nescias.

V. Conare, illum horrorem, & confusionem modò concipere, qui te ad divinū tribunal occupabit, cūm apertis oculis, quos superbia tibi modò obvelat, nihil in te boni videbis: *Aperiet oculos suos, & nihil inveniet.* Job. 27. 19.

Erga teipsum.

I. **H**UMilia te infra ipsummet dæmonem, qui propter unicum peccatum damnatus est, neque unquam accepit gratiam resurgendi, cūm tu vicissim tot, tantisque gratiæ auxiliis adjutus peccata peccatis cummulaveris;

II. E-

II. Erubescere, cum vides, te tam accuratam ab aliis exigere obedientiam, & tamen Deo tam male servire.

III. Exerce te libenter in officiis humilibus, quæ sunt media omnium efficacissima ad obtinendam humilitatem; *humiliatio* enim, ait S. Bern. Epist. 81. *via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem.*

IV. Non te pudeat ab aliis discere, & ostende, tibi gratum esse, ab aliis instrui.

V. Lubens exequere omnem poenitentiam, teque interius humilia, velut reum, ac bene meritum.

Erga proximum.

I. **O**ffer Deo labores, orationes, & merita fratrum tuorum, unà cum modico illo bono, quod tu facis, ut, velut vilior moneta meliori immixta acceptetur.

II. Cum aliquem ob defectus suos ex munere tuo reprehendis, agnosce semper, & cogita, te illo magis culpabilem esse.

III. Cum

III. Cùm imperata facis, cave, iudicium tuum iudicio imperantis opponas; hoc enim foret, subijcere corpus superiori, sed animum præferre.

IV. Nunquam cum ullo te compares, nisi ut magis te deprimas; considerans in proximo, quod habet à DEO, in te verò, quod habes à te ipso.

V. Dum ab aliis reprehenderis, humilia te, licet sis innocens, & cogita, quòd, licet hujus forsan culpæ reus non sis, sis tamen longè graviorum.

Oratio ad Christum Jesum, tanquam Humilitatis Magistrum.

O Domine mi, Christe Jesu, humilium altitudo, & gloria eorum, qui suis in oculis viles sunt; profiteor me amoris tuo summè obstrictum, quòd virtutis nobis tam peregrinæ, & tam pretiosæ, qualis est humilitas, sine qua, ut ipse nos doces, nemo potest intrare in regnum tuum, toti mundo Magister fieri dignatus sis. Sit igitur in æternum benedicta divina illa lingua, quæ tot, tàmque crebris modis
hanc

hanc nobis salutis viam aperuit , & monstravit. Verum quid prodest, proposuisse tam sublimem doctrinam , si ego ob hebetudinem meam illam non assequor? O divine Magister , moris tui est , non dare solum præcepta , sed acuere etiam intellectum , ad eorum vim sensumque penetrandum : *Da igitur mihi intellectum , ut sciam testimonia tua.* Ps. 118. 125. Da mihi mentem docilem , ut intelligam , quid sit , milles infernum promeruisse ex justitia , & hætenus ab eo fuisse servatum ex pura tua misericordia : *Perditio mea ex me , in te tantummodo auxilium meum!* Ose. 13. 9. Ex me ipso jam perii , sumque ex numero reproborum ac damnatorum ; si quid in me est melius aliquid , totum est pietatis tuæ , quæ me servavit ; & væ mihi ! nisi pergas me servare , quia scelerum meorum impetu abreptus accelerabo interitum meum , neque sistam , donec in illam flammaram abyssum præceps delabar : *Avertisti faciem tuam à me , &*

D factus

factus sum conturbatus. Ps. 29. 8. Ita tu me doces, & cum hac doctrina nunquam amplius dabo locum superbiæ, quæ adeò execrabilis est in oculis tuis. Notum igitur sit omnibus creaturis, me ex me non esse, nisi causam mei interitûs, & ducem ad præcipitium æternum, atque adeò tibi soli, O divine Servator meus, gloriam, mihi autem confusionem deberi. Huic veritati in-nixus, spero cum tempore præmium illud, quod abscondisti superbis & humilibus revelas in Cœlo. Amen.



CONSIDERATIO VI.

Pro Die Veneris.

De causa, quam habemus, humiliandi nos propter opera nostra bona.

PUNCTUM I.

Propter id, quòd opera ista habent à Deo.

I. **C**onsidera extremam tuam miseriam, dum ipsa bonorum operum

perum

perum copia & opulencia suo modo te magis inopem facit ; unde quò plura pro DEO agis , eò magis humiliare te debes ante ipsum : & inprimis quidem propter id , quod ipse de suo confert ad quemvis actum virtutis. Ut bene opereris, requiritur, ut sis ; quod est meritissimum Dei beneficium, seu donum creationis : & hoc solo titulo deberes Deo gloriam infinitam , & infinitam gratitudinem , quia , ut te è *nihilo* extraheret, potentiâ usus est infinitâ. Necessariæ sunt præterea potentia, quæ sunt merum Dei opus ; necessarius est concursus Dei , velut primæ causæ & authoris naturæ, sine quo causæ secundæ æquè parùm possunt, quàm si omninò non essent. Necesse insuper est, ut Deus, velut author gratiæ, auxilio quodam supernaturali tecum concurrat, ut altiori hoc præsidio adjutus, ad cognoscendum , & volendum bonum eniti possis. Tandem necessaria est gratia sanctificans , quæ operi confert vim merendi vitam æter-

nam : & hæc omnia non dari solùm,
 sed continuari tamdiu oportet , dum
 opus bonum consummes, ita quidem,
 ut vel unicâ earum deficiente , tota
 continuò operatio deficeret. Vide igitur ,
 quàm immeritò te extollas ob
 quodcunque opus bonum : Lætari
 quidem propterea potes, quia quævis
 operatio bona est grande bonum, sed
 gloriari non potes : mendicus trium-
 phat , cùm pinguem eleemosynam
 accipit, sed inde non extollitur, neque
 socios propterea suos contemnit: quòd
 enim plus cæteris acceperit , non fuit
 alia causa , quàm quòd cæteris magis
 miser, sordidus, aut importunus fuerit:
Quis ego sum servus tuus , quoniam respe-
xisti super canem mortuum, similem mei?
 2. Reg. 9. 8.

PUNCTUM II.

Propter id , quod habent à Deo st-
mul, & à te.

II. **C**onsidera id, quod ex tuo con-
 fers ad operationem bonam:
 est

est cooperatio cum gratia , & bonus
 potentiarum usus in executione ; hoc
 ipsum autem rursus est Dei donum ;
 non quod non verè velimus aut non
 faciamus bonum, quod agimus, alias
 nostrum dici non posset , sed quia id
 non volumus , neque facimus sine au-
 xilio gratiæ divinæ: *Non quia non volu-
 mus, aut non agimus* , ait S. Augustinus,
*sed quia sine eius adiutorio non volumus
 aliquid boni, nec agimus*, Lib. I. de Grat.
 Christ. c. 24. Quam igitur hic causam
 habes gloriandi ? *Nunquid gloriabitur
 securis contra eum, qui secat in ea ?* Isa.
 10. 15. Verum quidem est, gloriari te
 posse in Domino ob libertatem, quâ u-
 teris in benè operando, quod nulli in-
 strumento inanimato , & non libero
 competit, sed gloriari non potes ad-
 versus Dominum , arrogando tibi,
 quod tuum non est ; *Qui gloriatur, in
 Domino gloriatur*. I. Cor. 1. 31. nunquam
 autem contra Dominum. Præterea,
 etsi actus boni sint simul Dei & nostri,
 æstimationem tamen ac pretium
 D s suum

suum non habent ab eo, quod nostrum est, sed quod à Deo trahunt. Imaginare tibi grandem mundi hujus monarcham, qui pauperulam rustici filiam matrimonio sibi jungit: filii inde nati sunt omninò nobilissimi, regnique hæredes; nobilitatem tamen tuam, & jus regni non habent à matre, sed tantùm à Patre; materno enim titulo ignobiles sunt ac viles, ac propterea de stemmate paterno gloriari, maternum autem erubescere & occultare solent. Ita omninò se habent operationes bonæ ex felici conjugio gratiæ, & liberi nostri arbitrii natæ; ex illa trahunt genus coeleste, propter istud sunt abjectæ conditionis, & confusione potiùs, quàm laude dignæ. *Dei gratia à sum id, quod sum. 1. Cor. 15. 10.*

PUNCTUM III.

Propter id, quod habent tantùm à nobis.

III. **C**onsidera, quam humiliati-
onis materiam sumere debeas,
ex eo, quod operibus bonis inest ex
tuo;

tuo ; ex eorum nimirum defectibus,
 & innumeris imperfectionibus. Qui
 oculo libero acetum intuetur , putat,
 esse liquorem purum , qui autem ope
 microscopii attentius illud confide-
 rat, integrum in eo vermium examen
 videt: sic accidere nobis solet , ut ob
 debile lumen, quod habemus, actiones
 nostras, velut perfectas æstimemus; si
 verò Deus unum duntaxat intuitus
 sui radium nobis communicaret, subi-
 tò agnosceremus, eas non esse , nisi
 massam defectuum, quales sunt amor
 proprius, quem admiscemus, vana
 complacentia, intentiones pravæ, stu-
 dium proprii lucri & commodi, &c.
 Patri Balthasari Alvarez (quem cæ-
 teroquin S. Theresia velut nullo ejus
 temporis Viro sancto inferiorem æsti-
 mabat: uti ipsa testatur) ostendit Deus
 aliquando per visionem actiones suas
 bonas sub imagine uvæ, cujus plera-
 que grana erant vel putrida, vel infe-
 cta, vel immatura, ita ut vix duo vel
 tria essent sana, quamquam & ipsa

80 *Speculum non fallax.*
fordibus conspersa. Hæc erat visio,
quòd ipse Deus sic interpretari digna-
tus est : Video Symbolum vitæ tuæ;
duæ forsan aut tres tuæ actiones sunt
bonæ ; si tamen eas ad rigidum exa-
men revocavero , multa erunt , quæ
reprehendam. Cogita igitur, quales in
Dei oculis sint actiones imperfecto-
rum, si tales sunt actiones magnorum
Sanctorum. Væ nobis, si Deus nobi-
scum agere velit ex rigore justitiæ ! *si*
iniquitates observaveris Domine, Domine!
quis sustinebit? Ps. 129. 3. Ipsa etiam
opera bona , & non peccata tantum
nostra , terrere nos debent : *Verebar*
omnia opera mea. Job. 9. 28. Denique si
peccatis commissionis adjunges pec-
cata omissionis , deprehendes , quòd
delicta nostra creverunt usque ad cælum.
1. Esdr. 9. 6. ita ut licet transgressio-
nes nostræ sint omninò multæ , *arguet*
te propter malitiam tuam plurimam , o-
missiones tamen, ut observat S. Tho-
mas, dici possint infinitæ , & *infinitas*
iniquitates tuas. Job. 22. 5. Quanquam
igitur

igitur magnus peccator non fores
 propter mala, quæ facis, fores tamen
 maximus propter bona, quæ facere
 negligis: quanta enim non est tua in-
 gratitudo; quanta gratiarum jactura,
 quæ in aliis uberrimum fructum tulif-
 sent? similis profectò es vasi pertuso,
 in quo perit, quidquid infunditur: *Cor
 fatui, quasi cor confractum, omnem sapi-
 entiam non tenebit. Eccl. 21. 17.* Gratia,
 quæ nobis dantur tempore orationis,
 Communionis, aliisque mille occa-
 sionibus, appellari possunt Christi san-
 guis, quia sanguinis illius pretio stete-
 runt: tam pretiosum autem balsa-
 mum, à tot jam annis plenâ manu in
 animi tui sinus effusum, ubi est? ubi
 sunt tot lumina, à cœlesti sapientia ti-
 bi communicata? ubi sunt usura & lu-
 cra ex cōcreditis tibi talentis, quæ nõ-
 sti à domino tam rigidè exigì? *Cui mul-
 tum datū est, multū quæretur ab eo. Luc.
 12. 48.* Agnosce igitur, quòd, quanto
 magis abūdes, tantò sis pauperior: co-
 gita, divitias tuas esse merum mutuū,

D s

cujus

82 *Speculum non fallax.*

cujus præsens possessio non tam delectat habentem, quàm memoria rationis futuræ affligit: *Cùm augetur dona, rationes etiam crescunt donorum.* S. Greg. hom. 9. in Evang.

Praxis

Erga Deum.

I. **S**Tatue te ante Deum, tanquam filium Prodigum ante Patrem, & confitere, te, ob tam opulentum gratiæ patrimonium pessundatum, non esse dignum, ut vel inter servos in ejus domo verferis.

II. Aliàs imaginare te ipsum tibi, velut leprosum, ulceribus plenum, & dic: *Si vis, potes me mundare.* Matt. 8. 2.

III. Æstima te indignum divinâ providentiâ, indignum inspirationibus, indignum cæteris omnibus salutis remediis, quibus vel es abusus, vel non es usus cum fructu.

IV. Offer Deo omnem illam gloriam, quam homines vanitate excæcati ei iniquè rapuerunt, & protestare,
totam

totam illi soli deberi, velut Authori
omnis boni, teque propterea omnium
hominum nomine hanc ei restitutio-
nem facere: *Omnia opera nostra Domine
operatus es in nobis. Isa 26. 12.*

V. In negotiis magis arduis confi-
de, te, velut instrumentum cæteris in-
eptius magis à Deo iuvandum, cum
ejus auxilio magis indigeas: *Vocat ea,
qua non sunt, tanquam ea, qua sunt.
Rom. 4. 17.*

Erga teipsum.

I. Cum alii de te bene loquuntur,
cogita, uti dicebat B. Catharina Ge-
nuensis, eos de te non loqui; tu enim,
inquirebat, ex te ipso, & absque Deo,
tam parum confers ad bonum, quàm
parum ipse dæmon.

II. Cum advertis, te lapsum esse in
aliquem defectum, sume inde occa-
sionem cognoscendi tuam fragilita-
tem, sicut si quis furem in flagranti
cum re furtiva in manu deprehendat.

III. Si obedientia te cogit, aliquem
dignitatis aut superioritatis gradum

34 *Speculum non fallax.*

conscendere, descende animo & mente deorsum, & supra indignitatem tuam te reflecte.

IV. Non facile te excuses, etsi sis innocens; quia raro fiet, ut id facias ex alio, quam superbiae motivo.

V. Dei dona, quæ habes, nunquam intuearis, nisi simul cum tuis miseriis, sunt enim similia picturæ, quæ, utut sit pretiosa, pro fundamento tamen habet rudem telam, quæ substernitur.

Erga proximum.

I. Cum aliquid molestiæ tibi inferatur, non expecta, ut alter primus se coram te humiliet, sed præveni illum, & pete veniam, quod causam offensæ dederis.

II. Submitte te aliis libenter, & quære potius alienam, quam tuam voluntatem facere.

III. Non expecta gratias ob beneficia aliis exhibita, sed cogita, te fecisse, quod muneris tui erat, tanquam omnium servi.

IV. In usu rerum communium non delide-

desidera plus aliis, sed potius minus, velut minus dignus.

V. Dum demissè de te loqueris, noli velle, ut ab aliis credatur, te id facere ex humilitate, ne sis humilis, ut hypocritæ: *Est, qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo. Eccles. 19. 23.*

Oratio ad Christum, humilitatis exemplum.

O Verbum æternum, amore nostri Caro factum! adoro te profundissimè in tua celsitudine, neque tamen minus in tua te humilitate adoro: semper enim Deus es, in gloria æquè ac in abiectione tua, & sicut naturam nostram tibi uniendo elevâsti & Deificâsti, ita elevâsti misérias nostras, easque divinas reddidisti, dum eas sponte subire, eisque characterem dignitatis cujusdam supracœlestis imprimere dignatus es. Non satis tibi nimirum erat, fieri humilitatis Magistrum, nisi etiam fieres exemplum,

imò priùs , ac longè diutiùs volebas esse exemplum factis , quàm verbis Magister , ut omnem superbiæ meæ accessum obstrueres , eamque victas veritati manus dare compelleres. Quam igitur excusationem prætere potero, si ego vermis vilissimus & peccator extollere me præsumam, cum se Dominus Majestatis tam prodigiosè demittat? Ah! non habeo ullam excusationem , sed agnosco me convictum , & profiteor coram cælo & terrâ, quòd, si quidquam in me boni est, id totum sit à te , & à liberali manu tua; totum etiam sit propter te, quia unicè mihi concessum propter gloriam tuam. Verum tamen est, quòd agnitâ etiam tam perspicuâ veritate revertar ad vanitatem meam, mihi ipsi complaceam in actionibus meis, tanquam si forent meæ, & obliviscar innumerabilium meorum defectuum, tanquam si forent alieni. Quapropter benignissime Domine , veritas & lux mea, illumina me luto meo,
prout

prout id potes ; Domine ! *ut videam.*
 Marc. 10. 52. adauge in me claram
 imperfectionum inearum notitiam, ut
 omnem meum fastum extinguat, &
 supercilium deinceps levare non au-
 deam, méque non æstimem plus,
 quàm purum *nihil*. Cùmque hoc nec-
 dum sufficiat, fac insuper, ut, qualem
 me agnosco, talem me tractem, & ab
 aliis amore tui tractari exoptem.



CONSIDERATIO VII.

Pro Die Sabbathi.

Cum *nihilo*, quod sumus, comparati
 cum Sanctis, & cum Deo
 ipso.

PUNCTUM I.

*Compara te cum DEI Servis, etiamnum in
 hac vita degentibus.*

I. **C**onsidera, quòd, licèt fingamus,
 tuum esse omne bonum quod
 habes,

habet. à natura, vel gratiâ, illud ipsum tamen
 adeò sit parcum, ut, si in comparationem ve-
 niat, peccitus evanescat: unde quacumque
 ex parte te intuearis, semper es merum *nihil*,
 nec habes, quo tua se superbia tueatur. Com-
 para te igitur cum Sanctis, etiamnum in vita
 degeantibus. Quis, quæso, magnitudinem Gra-
 tiæ, fidem, charitatem, indefessum Deo pla-
 cendi studium, puritatem, obedientiam, odi-
 um sanctum sui ipsius, cæterasque virtutes in
 eorum cordibus radicatae satis æstimet? *Num-
 mera stellas, si potes. Gen. 15. 5.* Facilius foret,
 numerare stellas cœli, quàm virtutes, dona,
 & actiones illustres tot servorum Dei, in
 claustris, in eremis, in mundo ipso, inque
 omni hominum conditione ac statu viven-
 tiam. Compara jam, si lubet, tuas cum illis
 virtutes. Nunquid autem agnoscis, hoc a-
 liud non esse, quàm casas lateas, puerorum
 ludo formatas, cum templo ac palatio aureo
 Salomonis velle comparare? *Respicit homi-
 nes, & dicit, peccavi! Job. 33. 27.* Profectò
 si comparationem istam institues, cristas
 contiaud demittes, vultumque præ rubore in
 terra defiges, *& dicas, peccavi!* virtutes tuæ
 tot infectæ defectibus apparebunt, ut, si à po-
 tiori earum parte, quæ sub aspectum cadit,
 appellatio faciendâ sit, vitia potius, quàm
 virtutes dici mereantur? *Sanctorum virorum
 comparatione se pensans, iniquum se esse depre-
 hendit, ait S. Gregorius: supra prædicta ver-
 ba.*

ba. Quantumvis se comat puella rustica, & conetur nitidè loqui, ubi tamen ad aulam venerit, omnibus risum movet, visisque tot cultissimis matronis, & nobilissimo gynæceo rusticitatem suam, inorésque incultos nolens volens agnoscit. *Vidi Monachos, non sum ego Monachus*: vidi, quomodo Deo serviat, ego autem Servi Dei, ajebar quidam, nomen non mereor. Quod si tota, tamque ampla Terræ Sphæra, cum Cælo comparata, non est, nisi unicum Punctum, quantulus eris tu, miselle, comparatus cum cælo totius Ecclesiæ? Non es nimirum nisi punctum, & quidem inflatum, ac superbiâ tumens, quod undequaque nihil est, & tamen vult grande corpus videri.

PUNCTUM II.

Compara te cum Sanctis in cælo.

II. Considera, omnes simul in terra Sanctos non amare Deum amore tam perfecto, quo infimus Beatorum illum amat, quia, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 7. ad 3. amor proveniens ex clara Dei visione incomparabiliter superat amorem, qui provenit ex cognitione obscurâ fidei. Si igitur nihil es in comparatione cum Sanctis totius Ecclesiæ, quid eris in comparatione cum Sanctis in cælo? Cogimur profectò ingenuè fateri, nos esse peccatores: *Respiciet Sanctos, & dicet, peccavi.* Confer ergo charitatem tuam cum beatissimo illo amoris incendio, quo

quo Angeli & Beati omnes conflagent; nunquid contrauò advertis; illam longè esse minorem, quàm si scintilla, jam semè extincta, cum uniuersis Mundi fornacibus, & cum igniuomis montibus comparatur? Quòd si altius tollas obrutum, & usque ad sanctissimæ Virginis thronum te conferas, quæ sola omnem reliqui Paradisi pulchritudinem continet. *Decora, sicut Ierusalem.* Cant 6, 3. Nullum omninò tui vestigium apparebit, idque adhuc amplius, si longius progrediendo mentis oculos conuertas in ipsam Christi Jesu humanitatem, quæ in una ex Diuina Personis subsistit, & per ineffabilem cum sanctitate increata unionem est sancta; tum enim uerò te in te ipso non amplius inuenies; *Appensus enim in hac statera inventus est minus habens, quam nihili* & quoquam Sol noster Planetarius minimas etiam atomos conspicuas facit, Sol tamen ille Empyreus excelsas etiam sanctitatis creatæ moles ita absorbet, ut iustar *nihili* aspectum effugiant. S. Franciscæ Romanæ ut legitur in ejus uita l. i. cap. 14. Vultus Angeli Custodis seruebat pro nitidissimo speculo, in quo omnes suas imperfectiones intuebatur, atque idè, postquam ad formosissimæ illius faciei aspectum admissa est, cepit multò, quàm ante demissius de se ipsa sentire. Quid autem, quæso, in nobis intueremur, si ipsius Christi Jesu facies pro speculo nobis seruiret? Intueremur nimirum abyssum tam profundâ
 fragi-

fragilitatis & defectuum, ut non nisi Divinus oculus sua illum perspicaciâ perscrutari & comprehendere possit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, non alii.* Ps. 138. 16.

PUNCTUM III.

Compara te cum Deo.

III. Considera, te incomparabiliter magis vilem & contemptibilem esse, si cum Deo ipso, cum immensâ ejus magnitudine, & cum infinitâ ejus gloriâ in comparationem venias: *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt contra te, & quasi nihilum, & inane, reputatae sunt ei.* Isa. 40. 17. Omnes creaturæ & existentes, & possibiles, sunt quasi non sint, si comparentur ad illam lucem immensam, & ad illud pelagus omnis boni. Et hoc est, quod ita humiles reddit omnes Sanctos in Terra, & omnes Beatos in Cœlo, Divina scilicet Essentia, quam, ubi uno oculi ictu, & fulguris instar vidisset Isaias, exclamavit: *Va mihi, quia vir pollutis labiis ego sum, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis, c. 6. 5.* Postquam magnus exercituum Deus tenuem Majestatis suæ aspectum mihi indulserit, totus obmuresco, ad eum vilem & sordidum me video ante ipsum: *Sancti enim, quanto magis Divinitatis interna prospiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt.* S. Greg. l. 18. moral. cap. 33. Unde cognitio sui ipsius sine cognitione Dei perfecta esse non potest. *Noverim te, noverim me, ut amem te, & contemnam me,* dicebat merito S. Augustin. Videa

Viden igitur, qualis entitacula sis cum omni eo bono, quod habes, es instar atomi undique circumfusæ immensâ abyssio perfectionum, quæ tibi desunt, & Deo insunt, es punctulum non notabile, & penitus insensibile. Complezum ex te & Deo non est siclo plus, quàm Deus solus; *Ipse est omnia*, Eccles. 41. ex versione Gregorii; cumque ipse sit omnia, tibi non superest aliud, quàm *nihil*; ipse est, quod est, tu verò id es, quod non es. Prosternere igitur, prosternere, ô Babylonia confusionis, ô maledicta superbia! *Cecidit cecidit Babylon magna*. Apoc. 18. 2. Cum enim homo absolute nihil sit cum eo, quod habet ex se, & comparative pariter *nihil* sit, etiam cum omni eo, quod habet à Deo, cur ergò gloriatur? *Gloria tua nihil est*. Joan. 8. 54. Ita, ita est, de *nihilo* gloriare: *Ego abyssus vanitatis, ignorantiarum & nihili, tu abyssus veritatis, sapientia, bonitatis, & rerum omnium; Deus meus, & omnia*? Ita de se sentiebat humillimus Franciscus: vide *Vadiagnm* in opusc.

Praxis

Erga Deum.

INihil aliud magni æstimes, quàm Deum, & quæ Dei sunt, contemnendo te ipsum, atque res omnes creatas: *Quod æternum non est, nihil est.*

II. Intuere dona Dei in te, velut rem alienam, quæ, dū te ornat, tuæ te miserix admonet. Paupercula fœmina, quæ mutuato vestitu

stiru

stieu vadit ad Ecclesiam, cum proprium non habet, non se circumspicit, velut pulchra, sed erubescit, velut indiga.

III. Substerne te Deo, velut vile mancipiū, tibiq; ipsi irascere, quando divinæ providentiæ dispositiones molestæ & graves tibi accidunt: *Nonne Deo subjecta eris anima mea? Pl. 61. 2.*

IV. Age gratias Deo, post peractum quodvis opus bonum, velut ob eleemosynam inopiæ tuæ liberaliter datam.

V. Obstupescce, quod, dum Sancti in Cælo & in terra se profundissimè coram Deo humiliant, ob dependentiam, quam ab ipso habent, & ob vilitatem, quam habent ex *nihilo* suo, tua tamen cæcitas inveniat, unde se extollat? *O incognitum nihil!* dicebat beata Agatha de Fulginio. *O incognitum nihil!*

Erga teipsum.

I. Ama silentium, & audire magis, quàm loqui.

II. Cum laudaris, erubescce, ob diversum longè Dei de te iudicium, quod suo tempore manifestabitur: & tunc implebitur dictum illud Thren. 1. 8. *Omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illā, quia viderunt ignominiā eius.*

III. Cave, exaggeres mala, quæ pateris, ne aliorum charitatem ad commiserationem tuique æstimationem moveas.

IV. Conare, ut displicentiam concipias ex honore accepto, & cogita, virtutem tuam nimis esse debilem ad vincendum etiam minimum motum vanitatis.

V. Ad-

V. Admirare indomitam passionum tuarum vehementiam: montes ignivomi quiescunt interdum; sed cupiditates tuæ nunquam quiescunt.

Erga proximum.

I. Cum quis te reprehendit, fac, ut credas, eum jure id facere; parum enim prodesset, linguam cohibere, & corde murmurare.

II. Bene de omnibus loquere; qui enim verè humilis est, non sentit malè, nisi de se.

III. Ad primum quemvis sinistri de aliis judicii motum indignare tibi ipsi, quòd videas festucam in aliis, trabes autem in te non videas.

IV. Cum vides, alium palam peccare, crede, te longè pejora acturum, si fores ejus loco: vitis se erigit, dum fulcro adhæret; cum hæc subtrahitur, videbis illam continuo serpere per terram, non secus ac cæteras, quæ fulcrum non habent.

V. Cum audis, alios vituperari, cave tibi complaceas velut immunis eo defectu; familiare enim est superbis, aliorum depressione extolli.

Oratio ad sanctissimam Virginem, ut nobis impetret humilitatem.

○ Virgo purissima, O Mater sancti amoris, quæ humilitati debes omnem magnitudinem tuam! non invenio meliorem titulum, subeundi conspectum tuum, quàm supplicandi tibi, ut expugnes superbiam meam: hæc est hostis

Consideratio VII. 95

hostis tuus, & hostis Filii tui; qui, ut eam funditus deleret, divinitatem suam usque ad unionem cum *nihilo* nostro, & humanitatem usque ad mortem Crucis demisit. Convertite igitur, O benignissima Mater amabilissimos oculos tuos in me miserum! *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Non peto aliud, quàm unicum à te obtutum; aspice in me, & siquidem materna tua viscera sinunt, ut videas miseras meas, & tamen nullo earum sensu tangaris, lubens acquiescam, & luctari pergam cum miseris meis: sed non permittet illud innata tibi pietas, neque officium Advocatae & Matris, quod tibi filius tuus moriturus, cum supremum tibi loqueretur, imposuit: supplico tibi igitur per omnes hos titulos, & per illam complacentiam, quam habet sanctissima Trinitas in anima tua immaculata, ut in me extirpare velis omnem vanam estimationem mei, omnemque mundani honoris affectum. Tota mea gloria sit, dari gloriam Jesu, ac semper profiteri, quòd sim peccator, quodque hæc ipsa bona, quæ ex ejus gratia possideo, ad divinam ejus magnitudinem sint merum *nihil*. Fac, ut hæc veritas, quam tuo me exemplo docuisti, ita à me exerceatur, ut possim aliquando Deum tecum in Cælo magnificare, eique gratias agere, quòd animam adeò miseram, qualis est mea, tam benignè respicere dignatus sit.

Amen.


IN-




I N D E X.

C onsideratio I. Nihil sumus ex nobis, in statu & ordine natura: & 1. nihil in essendo. 14
Nihil in permanendo. 16
Nihil in operando. 18
C onsideratio II. Nihil sumus in statu & ordine gratia; necessaria est gratia sanctificans; 24
Necessaria est gratia actualis; 27
Necessaria est gratia finalis; 30
C onsideratio III. De miseriis peccati originalis; Quanta ignominia; 37 Quae cecitas mentis; 39
Quanta malitia voluntatis. 41
C onsideratio IV. De peccatis actualibus: Humi- litate materiae praebent peccata praeterita. 50
Peccata praesentia. 53. Peccata possibili. 55
C onsideratio V. Infernus est potens motivum humiliationis: meriti sumus damnationis sententiam; 63
An revocata sit nescimus: 65
Potest nostra culpa renovari, & executioni mandari. 67
C onsideratio VI. De causa, quam habemus hu- miliandi nos propter bona nostra opera; & primò propter id, quod habent à Deo; 74
Quod habent à Deo simul & à nobis; 76
Quod habent à nobis tantum. 78
C onsideratio VII. De nihilo, quod sumus, com- parati cum sanctis in hac vita etiamnum degentibus. 87
Cum sanctis in Caelo; 89. Cum Deo ipso; 91

F I N I S.







Th

2961